



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

IV. Probatur Prophetiae Zachariae γνησιότης & antiquitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

Barachia. Longe etiam minus credibile est nostrum hunc Zachariam cum fuisse, quem Joasi regis iussu, in atrio domus Domini lapidibus necatum fuisse Paralipomena narrant: quod tamen Auctor libri De vita & morte Prophetarum, qui Epiphanio adscribitur, affirmasse legitur in Codice Augustano. Nam si Joasi temporibus occubuit, quomodo ad Darii Hytaspidae tempora potuit pervenire, qui totis trecentis annis recentior fuit? Deinde hic Jojada filius fuit, ille Barachia. Utrum vero noster ille sit, quem apud Mattheum & Lucam Christus interfectum fuisse dicit inter Templum & aram; an potius Zachariam alium significaverit, qui Joasi regis iussu, ut dixi, in atrio domus Domini lapidibus necatus esse dicitur in Paralipomenis, dijudicare haud ita promptum est. Barachia quidem filius est noster, ut ille Christi; inter Templum vero & aram caelum fuisse Scriptores sacri haudquaquam tradunt, *Αλλά ἐν τῷ ἱερῷ τῷ ἱεροῦ ἔκειτο ἡ θυσία*, inquit Origenes, *καὶ οὐκ ἐν τῷ ἱεροῦ τῷ ἱεροῦ*. Sed & de Zacharia filio Barachia, acciso inter Templum & locum sacrificiorum, à Jesu quidem didicimus, à nulla vero alia Scriptura cognovimus. Caelus est ille Paralipomenon in atrio Templi, perinde ut ille Christi; at Barachia filius hic fuit, ille Jojada. Undique angustia, Censuisse nonnullos Prophetam nostrum à Christo fuisse notatum docet Hieronymus, optimus nodi hujus vindex: eosdemque hoc argumento refellit, quod ejus temporibus vix Templi ruinae superferunt. In alteram itaque abijt sententiam, & Zachariam à Joaso morte affectum, cum esse vult, quem Christus commemoravit: atque hunc in Evangelio, quo utebantur Nazaraei, & cujus exscribendi licentiam sibi factam fuisse ait ab iis qui Berezam Syriae incolebant, non Barachia, sed Jojada filium esse dictum. Duos itaque tantum habemus Zacharias Barachia filios, alterum Isaiae coævum, alterum Prophetam unum è Dodecim. Meminit praeterea Josephus, in libris De bello Judaico, Zachariae cujusdam, filii Baruchi, viri itidem pii & sancti, in Templo quoque à Zelotis per invidiam interfecti; atque ita priorem Zachariam Joasi coævum, ut nomine, sic moribus & vita, ac interita etiam & mortis causa referentis.

Par. 24. 20.

Math. 23. 27.
Luc. 11. 51.

Orig. Epist. ad Afric.

Hier. in Math. 23. & De Script. Eccl.

Joseph. de bell. Judaic. libr. 4.

IV. Genuinum autem Zachariae factum esse Prophetiam ipsi adscriptam ostendunt primum Libri ipsius verba, quae de se Zacharias ipse *ἐν ὄψεσίν ἐμοις* profert. Puta cum ait: *Factum est verbum Domini ad Zachariam filium Barachia, filii Addo, Prophetam, dicens: Vidi per noctem, & ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter myrteta, quae erant in profundo; & post eum equi rufi, varii, & albi. Et dixi, Quid isti, Domine mi? Et dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me, Ego ostendam tibi quid sint haec. Plurima hujusmodi per totum opus sparsa sunt. Hic praeterea valere debent testimonia, quae ad fidem libro Aggae conciliandam supra adduximus, cum par-vaticiniorum utriusque commemoratio in continetur. Nobis vero brevitati consulentibus ea iterare nihil attinet. Recitemus potius istud Malachiae: *Revertimini ad me, & revertar ad vos, dicit Dominus exercituum; quod prodixisse liquet ex hoc Zachariae: Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos, dicit Dominus exercituum.* Jam vero si ad novum decurramus Testamentum, multa illic è Zacharia arcessita offendemus: hoc praecipue apud Mattheum: *Dicite filiae Sion: Ecce rex vester venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subjugalis: quod & in Evangelium suum Johannes transtulit. Et istud etiam: Et acceperunt triginta argenteos, pretium appreciati, quem appreciaverunt à filiis Israël, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.* Referuntur haec quidem apud Mattheum ad Jeremiam, sed id factum videtur osecitantia libroriorum. Quamquam alias alii causas afferunt. Proclivem in nominibus propriis esse lapsum sciunt, qui manu scriptos Codices versare solent. Sic apud Iustinum Zachariae tribuuntur ista, quae Malachiae sunt: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam.* Petium est indidem hoc Matthaei: *Scriptum est enim, Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis; quod & Marcus representat: & hoc Johannis: Et iterum ultra Scriptura dicit, Videbunt in quem transierunt: ὁ ἑλθὼν vero istud Pauli: *Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo.* Zacharianum est denique illud Johannis in Apocalypsi: *Ecce venit cum nubibus & videbit cum omnis oculus, & qui eum popugerunt. Et plangent se super eum omnes tribus terrae.* Quam predictionem jam ante attigerat in Evangelio.**

Probat. Prophetiae Zachariae & antiquitatis. Zach. 1. 7, 8.

Mal. 3. 7.
Zach. 1. 3.

Math. 21. 4, 5.
Zach. 9. 9.
Joh. 12. 14.
Mat. 27. 9.
Zach. 11. 12.

Iustin. Dial. cum Tryph. Mal. 4. 5.
Matth. 26. 31.
Marc. 14. 27.
Zach. 11. 7.
Joh. 19. 37.
Zach. 11. 10.
Eph. 4. 25.
Zach. 8. 16.
Apoc. 1. 17.
Zach. 11. 10.

Ceterum quae supra diximus de Psalms aliquot Aggae & Zachariae nomine inscriptis, cum Aggae prophetiam expendere, atque item argumentum quod ad verus Aggae dignitatem prolatum confutavimus, quoniam ea Aggae cum Zacharia communia sunt, huc etiam aequo jure pertinendo.

